

Aloysii Galvani De Manzoliniana supellectili oratio : habita in Scientiarum et Artium Instituto cum ad anatomen in tabulis ab Anna Manzolina perfectis publice tradendam aggredereetur anno MDCCLXXVII.

Contributors

Galvani, Luigi, 1737-1798.
Accademia delle scienze dell'Istituto di Bologna.

Publication/Creation

Bononiae : Ex typographia Laelii ..., [1777]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mjbujsjc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Supp. 60179/c



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library


<https://archive.org/details/b30417831>

365/3
ALOYSII GALVANI
DE
MANZOLINIANA
SUPELLECTILI
ORATIO
HABITA IN SCIENTIARUM ET ARTIUM
INSTITUTO

Cum ad Anatomen in tabulis
AB ANNA MANZOLINA
PERFECTIS
PUBLICE TRADENDAM AGGREDERETUR
ANNO MDCCLXXVII.




BONONIÆ



Ex Typographia Lælii a Vulpe Instituti Scientiarum Impressoris.
SUPERIORUM PERMISSU.

ALFRED A. CANNAN
DR.
MANZONI
SUPPORT
ORATIO
HABIT IN CATHEDRA
LITURGIA
Cuius in honore
LEAZZA MANZONI
PUBLISHED
BY THE
PUBLISHERS OF THE
NEW YORK





SENATORIBUS PRÆSTANTISSIMIS
SEPTENVIRIS

INSTITUTI SCIENTIARUM ET ARTIUM MODERATORIBUS,

ULYSSE GOZZADINO POETI BONFIGLIOLI

Ad Sanctam Sedem Patriæ Oratori,

JOANNI FRANCISCO ALDROVANDO

MARISCOTTO COMITI,

Equiti Regii Ordinis S. Stanislai Poloniæ,

PYRITHEO MALVETIO MARCHIONI,

JOANNI LAMBERTINO PRINCIPI,

Ordinis SS. Mauritii & Lazari Magno in Urbe Priori,

Equiti Meliteni,

JOSEPHO ANGELELLO MARCHIONI,

Hispaniæ Infantis Parmæ Ducis Cubiculario,

LUDOVICO SAVIOLO FONTANA

COLTELLO COMITI,

Bavariæ Ducis Cubiculario, & Intimo Confiliario,

ANTONIO BOVIO SILVESTRI MARCHIONI.


ALOYSIUS GALVANI

Fel.

Cum summus & genere, & dignitate
Vir consiliis, rationibus, & auctoritate su-
perioribus diebus me adducere conaretur,

ut, quam Orationem de Manzoliniana suppellectili nuper in Scientiarum Instituto recitavi, eam typis mandarem, tria me potissimum retardabant, quominus ejus voluntati obsequerer; quotidiana omnium ferme, qui libros edunt, consuetudo; & mea, atque Manzolinæ dignitas, & existimatio. Qui enim suos hodie libros typis describi curant, ii plerumque in iis litteris, quas eisdem operibus præmittunt, aut natura monente se id fecisse dicunt, quæ non videretur ferre posse, ut suorum veluti fœtus ingeniorum perpetuo in scriniis delitescere, vel etiam interire facile paterentur; qui dum naturæ ipsius vocem in eo audire videri volunt, gloriosi, sibi que præfidentes vulgo existimantur: aut invitos se & coactos sua, ajunt, librario exscribenda, atque cudenda dedisse, ne Eruditorum judicio nihil tribuere, officiumve deserere viderentur; qui itidem ipsi qua oratione id se putant esse consecuturos, ut prudentes, neque suarum lucubrationum nimium amantes habeantur, eadem illa oratione afferunt suspicionem sibi maxime adversa-

sa.



riam artificii , ut nemo fere sit , qui non illos callide potius , quam ad veritatem fuisse locutos existimet . Itaque vix , aut nullo modo fieri posse intelligebam , ut ne in reprehensionem incurrerem , sive arrogantiae , si nihil de stimulis incitamentisque dicerem , quæ ad hanc rem habui maxima ; sive calliditatis , si hæc ponerem , quæ tamen sunt verissima , me non mea sponte ac voluntate , neque inani quadam gloriæ cupiditate , sed auctoritate & hortationibus impulsus amplissimi Viri , Orationem hanc , qualiscumque sit , in manus hominum pervenire sivisse ; præsertim cum nominari se nolle dixerit , qui mihi fuit ad hanc rem auctor , & incitator : quorum utrumque quantopere mihi esset ad ferendum molestum , per se quisque , etiam tacente me , facile intelligit . Jam illud etiam verebar , ne quæ laudes Manzolinæ non sine approbatione aliqua exceptæ fuissent cum recitarentur , eædem si publici juris fierent , & sub oculis ponerentur , decus omne , atque ornamentum amitterent . Itaque timebam , ne & qui consule-

re tantæ Mulieris immortalitati deberem, ejus gloriam, virtutemque obscuravisse viderer; & ipse existimationis, qua nihil omnes habemus antiquius, jacturam aliquam facerem: quibus demum rebus nihil mihi accidere posset intolerabilius; cum sæpe illud contingere videamus, ut quæ audita placent, & probantur, eadem lecta displiceant, & condemnentur. Quod quidem ne nostræ potissimum eveniret Orationi vehementer metuebamus; qui cum eam æqui bonique fieri vidimus, illud continuo cogitavimus, non incommode fortasse illam fuisse a nobis pronunciatam, qui efficere potuerimus, ut qui multis in locis nobis ipsi displiceremus, Auditoribus tamen non-nihil satisfaceremus: quippe qui non ignoramus, eam nullo non tempore fuisse actionis vim, ut ei summi ipsi Eloquentiæ Magistri primas, secundas, tertias, quartas tribuerint. At cum idem ille Nobilissimus Vir me iterum convenisset, illudque demum retulisset, ita Vos, Amplissimi Instituti Præfecti, Manzolinæ opera, meaque studia, ac labores tueri, ut meam Orationem, si

typis

typis mandaretur, vestro nomine honestare non recusaretis; continuo mutavi consilium, illiusque voluntati libentissime sum obsecutus. Quis enim putet mentiri me publice apud Vos ea in re, cujus Vos rei in primis, si minus vera esset, convincere me falsi possetis? quo nihil mihi esset turpius: quod sane præstitissem, si quidem affirmassem, summa dignitate Virum auctorem mihi extitisse, ut Orationem hanc ederem, eundemque fuisse pollicitum, illam Vos vestris auspiciis tutaturos; neque tamen fuisset quisquam, qui tale aliquid a me petiisset, qui me ea in re suo consilio juvasset, suaque auctoritate impulisset. De Manzolinæ autem laudatione, cum ea vestro nomini inscripta appareat, quid imminui potest? cum ejus patrocinium suscepisse Vos tam insigni significatione declaraveritis; Vos, inquam, quos non præclara tantum, ac nobilissima stirps, sed doctrina in primis, atque singularis in omni Scientiarum genere eruditio huic Instituto præficit. Accipite igitur, Viri amplissimi, quam Vobis sisto, Orationem, indicium

*mei erga Vos cultus, atque observantiæ.
 Vos me, Vos Manzolinæ, mulieris claris-
 simæ, cunctæque Civitati charissimæ, lau-
 des, qua consuevistis humanitate, in ve-
 stram fidem tueri, ac conservare nunquam
 desinite. Valete interea, Viri amplissimi,
 atque, ut facitis, Instituti rem bene, ac
 feliciter gerite.*

DE MANZOLINIANA SUPELLECTILI

O R A T I O .



Uod nostra hæc Academia, quod omnes Docti, quod universa Civitas, quod nos maxime exoptavimus, ut humani corporis partes ab Anna illa Manzolina, quæ omnes, qui retro fuerunt Artifices, longe, multumque superavit, ex cera efformatæ in hoc Artium, Scientiarumque domicilio demum collocarentur, id aliquando factum esse vehementer lætamur, Auditores. Hac enim re cum publicis votis, nostroque desiderio satisfactum est; tum illud etiam consecuti sumus, quod ab Instituto condito Senatui, Populoque Bononiensi semper propositum fuit, ut hujus loci dignitati, Patriæque bono sit maxime consultum. Benedictus enim XIV., quem Patriæ Patrem merito nominamus, pro incredibili illa, qua flagrabat in nos, charitate, conduxit ille quidem magno pretio Herculem Lellium, hominem inventionis laude clarissimum; qui signa, atque humani corporis formas ex cera effingeret, quæ hic ponerentur. At quis diffitebitur, Summum Pontificem, morte præoccupatum, rem tantam absolvere non potuisse? Nam musculos tantum ex cera, & ossa in Sceleton mira arte connexa, quæ ad instituendam Juventutem Picturæ, & Sculpturæ deditam satis esse videri possent, perfecit Lellius; quæ in proximo conclavi videtis: at desiderabantur ea, quæ in

anatomica re & potissima essent, & majorem haberent utilitatem, quibus Chirurghi etiam, & Medici possent erudiri; quæ nunc demum Patrum voluntate, ac consilio suppetunt. Quis autem sibi persuadeat, communem hanc omnium nostrum Parentem Patriam contentam hoc in genere iis esse potuisse, ex quibus ornamentum solum peteretur; ea vero minime curavisse, quæ ad suorum Civium salutem, incolumitatemque conservandam, reddendamque maxime conferrent? Quis putet, Benedictum ipsum Pontificem Maximum, qui, pro sua animi magnitudine, quod summum esset, omnibus in rebus spectaret, non & Chirurgorum, & Medicorum studiis, & commodis consulere voluisse; præsertim cum decrevisset, ut, mortuo Lellio, alius in ejus locum sufficeretur, qui non modo Doctor esset renunciatus, sed qui in Archigymnasii Lectorum, in hujus Instituti Professorum, in Academicorum Benedictinorum numero esset; qui Anatomen profiteretur, qui a Senatu eligeretur, ut hic eam publice traderet? Quid enim necesse fuit jubere, ut Magister deligeretur, qui omnia haberet ad Chirurgiam, & Medicinam adjumenta; siquidem Sculptores tantum, Pictoresque Auditores haberet, qui, si ea norint dumtaxat, quæ ad ossa, atque ad externos musculos pertinent, beati sibi esse videantur? In quam tamen orationem vel invitatus descendi, ne quid de me ipso, quod a meis moribus est omnino alienum, prædicare viderer, qui, Hercule mortuo, summo hujus Instituti Præfectorum, & amplissimi Ordinis beneficio, primus ad hoc munus obeundum sum constitutus: sed malui impudentior

tior videri, quàm præterire ea, quæ cum ad rem maxime pertinerent, tum essent verissima, & cum laude conjuncta ejus Pontificis, qui & de Patria, & de hoc Instituto sit optime meritus. At hæc quamquam maxime valeant ad ostendendum & in hac re, sicut in omnibus semper, viguisse Patrum studia, & auctoritatem, qui, re hic anatomica augenda, præclarissimum inceptum, cujus absolutionem boni omnes expeterent, perfecisse visi sunt: tamen, si Manzoliniana opera aut tantam utilitatem non haberent, quantam indicavimus; aut nihil in iis esset, quamobrem sese ipsa præcipua quadam ratione commendarent; non me tantopere hæc anatomicarum tabularum copia, & elegantia commoveret, nec tanta afficerer voluptate, quantam præ me fero: sed utrumque in illis est, & summa utilitas, & singularis præstantia; quod & Vos profecto, Auditores, probaturos confido, si me dicentem attento, benevoloque animo, quod spero, excipietis.

Atque ut intelligatis, Auditores, quantum Juventuti (ejus enim progressionibus omnia, quæ in his ædibus sunt, potissimum servire Patres voluerunt) hæc Manzoliniana supellex sit allatura utilitatis, superiorum, quæso, temporum memoriam repetite, cum propter anatomicarum tabularum inopiam, unam Osteologiam, atque Mysiologiam Auditoribus quotannis tradere coacti essemus. Quoties enim nobiscum ipsi conquerebantur, quod eadem semper audirent? Quod ad eas partes, quas habet anatomica facultas utiliores, nunquam progredi liceret; qui illis assidue eam, quæ de musculis, atque ossibus est, doctrinam ape-

riremus? Non enim his in posterum angustiis detine-
 bimur, cum longe plura, eaque utilissima, suppetant
 aliquando, quibus illorum studiis, ac voluntati cu-
 mulatissime satisfaciamus. Atque hic quamquam vi-
 deo, quantum ad utilitatem hujus operis illustran-
 dam prodesset, omnes ejus partes recensere; tamen &
 quod multis interpositis earundem partium laudibus,
 quæ ultro occurrerent, longius, quam par est, pro-
 grederemur, & quod ad majora etiam festinet Ora-
 tio, quæso, Auditores, ut patiamini, ea a me præ-
 teriri, quæ in posterum nostris Auditoribus commo-
 dius aperiemus, cum omnia ea trademus, quæ ad
 fœtus Osteologiam, atque ad ossium, nervorum, mu-
 sculorumque compagem, structuram, & numerum,
 & usum maxime pertinent. Nihil itaque de his di-
 cam; nihil etiam de generationis instrumentis, nihil
 de urinæ viis, nihil de vocis, nihil de sensuum or-
 ganis, nihil demum de tot aliis a præclara Muliere
 mirabiliter constructis partibus afferam; quin illud
 etiam tacebo, quantam utilitatem Anatomes ipsa per
 has tabulas adepta sit, quæ illud aliquando assecuta
 est, ut nihil jam habeat, quod ipsos delicatulos a
 sui amore avertat. Neque enim hæ, ut veræ, ac na-
 turales cadaverum partes, quidquam habent tetri,
 ac putridi, quod stomachari, ac moleste ferre vel
 molliores possint: quin, ut sunt pulchræ, & elegan-
 tes, alliciunt etiam ad cognoscendum, incredibilem-
 que quandam afferunt ediscentibus voluptatem: hæc
 inquam, omitto, Auditores; atque ad ea continuo
 venio, quæ hujusmodi tabulæ afferunt ad instituen-
 dam Juventutem adjumenta. Itaque illud affirmo, in
 his

his tabulis, quo modo sunt positæ, ac comparatæ, uno fere oculi ictu naturalem partium formam, progressum, directionem, situm longe melius perspicere, quam in partibus e cadaveribus eductis, & eo, quo Anatomici solemus, more sectis, ac paratis conspiciantur: quo quidem ad erudiendam Adolescentiam nil potest esse utilius. Atque ut a figura exordiar, quæ inesse naturalis, ac vera forma potest iis partibus, quæ e cadaveribus exemptæ, manibus, id quod necesse est, contrectantur, quæ a fluidis sunt inopes, quæ aeris vi arescunt, quæ propria elasticitate corrugantur, quæ super tabulas extenduntur, vossellis trahuntur, acubus firmantur? Quid dicam de earundem partium situ, directione, & progressu? Putabimus, naturalem vasorum situm, directionem, progressum servari posse, sejuncta pinguedine, sublatis partibus iis, quæ ipsa fulciebant, vinculis membranosis, quibus detinebantur, sectis, ademptis curvis illis variis, atque angulis, quos illa describant, iisdemque vasis ad rectam lineam, ad idem planum omnibus deductis? Credemus, naturalem musculos situm, directionemque retinere, cum ab uno saltem termino, cui affigebantur, sejuncti sint, cum filis, & acubus diversas in partes ab Anatomicis trahantur? Existimabimus, nihil a naturæ situ, directioneque discedere membranas, si explicatæ, si collapsæ, si supra tabulam fuerint extensæ? Erit idem subtilissimorum nervorum situs, progressus, directio, atque in integro corpore esset, cum eos a cadaveribus exemeris; quos nisi in omnibus fere punctis fulcias, ac sustineas (id quod vix, ac ne vix qui-

dem fieri potest), ne in exigua quidem eorum parte suspendere, & in situ, ac directione servare possis? tanta est eorum mollities, flacciditas. Una, una erat profecto hæc ars, quæ tot, tantisque incommodis mederetur: quæ ex cera primum quidem ductili, mox vero firma ac dura, partes enarratis similes ita construeret, ut non modo veram, ac naturalem earum figuram ad amissim exprimeret; verum etiam integras, incolumesque, nullo subjectarum, vicinarumque partium, aut fallacium artificiorum præsidio adhibito, servaret; quamvis eadem essent & ad summam tenuitatem redactæ, & a cæteris sejunctæ, & elevatæ, & erectæ, & flexæ, & in spiram ductæ, & extensæ, & ab uno extremo ad alterum productæ, & una parte adhærentes, altera liberæ. Quid plura? Quidquid cadaverum partes Anatomicorum more paratæ naturalis figuræ situs, directionis, progressus amittunt, id tabulæ, de quibus loquimur, iisdem tribuunt; si quid desit, sarciant; ut non facile constituas, utrum magis hæc ars naturæ, an natura huic arti debeat. Inspicite, quæso, Auditores, tabulas, quæ in proximis conclavibus asservantur: contemplamini, ut multa præteream, oculorum musculos intra orbitam collocatos, suspensos, suis terminis affixos, cum a se, tum a nervo optico longe distitos: ut sunt naturali figura præditi! ut verum situm, ut veram, propriamque directionem obtinent! Inspicite oculorum membranas; intuemini tenuem choroidem, suspensam, mobilemque iridem, mollissimam retinam: sunt ne eæ ita in suo situ, in suaque directione omnes collocatæ,

ut

ut iris in aqueo humore innatare videatur; cho-
roides vero, & retina, quamvis cum a se, tum a
selotica sejunctæ, oculi tamen bulbum, qui vacuus
omnino est, turgidum, & plenum præferant? In-
spicite exiguißima testium vasa, multiplicesque eo-
rum circumvolutiones, ordines, anastomasesque:
nonne ita in naturali situ omnia servantur, licet
incredibilem obtineant tenuitatem, ut tota eorum
compages & tenuißimum rete efformet, & testium
nihilominus formam adhuc exhibeat? Inspicite de-
mum, ut multa alia omittam, in aure non modo
tenuißimum illum nerveum ramum, qui chordam
tympani constituit, verum etiam duri nervi propa-
gines ad musculum internum mallei, & ad strape-
dium delatas: quamvis tenues adeo sint, ut visum
penitus effugiant; videtis tamen eas intra tympani
cavitatem, in quam ne digitos quidem inferre pos-
sis, collocatas, & liberas, & extensas, & prædictis
insitas musculis. Quod profecto nemo unus præsta-
re potest, nisi qui tantam adhibeat diligentiam, dum
cadaverum partes in situ collocatas in exemplum si-
bi proponit, ut suas conficiat, quantam præstantis-
sima Artifex adhibuit, eaque, qua ipsa excellebat,
anatomicis in rebus solertia, atque doctrina polleat.
Qui posset, quæso, Auditores, non dicam idem,
sed ne simile quidpiam, in oculorum musculis, at-
que membranis, in testium vasis, in subtilibus de-
mum aurium nervis Anatomicorum more e cada-
vere sectis, paratisque assequi? Qui posset idem o-
stendi? Sed fac, possis; quod tamen ab experientia,
& veritate longe abest: hæc ita comparata quam-
diu

diu perdurabunt? Sæpe ne accidit, ut multorum die-
 rum opus, & labor exiguo temporis spatio, cælo
 potissimum calido, humidove, labefactetur; ut om-
 nem sibi ademptam intelligas prædictarum humani
 corporis partium observandarum facultatem? At no-
 stræ præ tabulis ab Anatomicis paratis id utilitatis
 habent, ut semel constructæ numquam immutentur;
 semper pateant; semper inspicere, contemplarique pos-
 sint, quacumque tempestate, quacumque aeris, cœ-
 live vicissitudine, quacumque die, hora quacumque.
 Quem igitur ex cadaverum partibus confectæ tabu-
 læ sæpe negant ad perdiscendum aditum, eum no-
 stræ adolescentibus harum rerum studiosis assidue
 præbent amplissimum. Hæ vestris commodis, Juve-
 nes optimi, præ illis inserviunt. Hæ rei difficultati,
 hæ ingeniorum etiam, si opus sit, occurrunt tardi-
 tati. Quæ cum ita sint; habeant quidem magnam
 utilitatem paratæ ab Anatomicis tabulæ, Professo-
 rum industriam præferant, diligentiam, doctri-
 nam; at nostræ, quæ partium figuram, directio-
 nem, situm, progressum apertius, verius, accura-
 tius ostendunt; eædemque sunt semper; quis infi-
 ciabitur, utilitatem præ illis habere longe majorem?
 At enim sunt ne hæc Manzolinæ operis adeo pro-
 pria, ut nihil cum cæteris hujusmodi supellectilibus
 commune habeant? Non usque eo Manzolinianæ
 tabulæ me tenent, Auditores, ut iis nihil simile,
 nihil etiam, si libet, elegantius inveniri, aut effingi
 posse existimem; præsertim cum in ea urbe simus,
 in qua ut summi, & rara industria, ac doctrina
 Professores sunt, sic præclaros, & admirabili arte
 Sculp-

Sculptores habemus : hoc tamen dico, Manzolinæ opus non pauca sibi peculiariora habere, quæ in cæteris hujusmodi studiis desiderantur; quarum rerum causa, integra aliorum Professorum, Artificumque dignitate, illud longe nobis antecellere omnibus videatur. Quæ enim res, sin minus novitate, at certa quadam in suo genere perfectione primæ sunt; eas omnium in se oculos convertere nemo negabit. Nimis enim angustis limitibus plerumque hominum ingenium & vita coercentur; ut idem & invenire valeat rem, & perficere. Quamobrem etsi inventio sit summopere commendanda; tamen interdum contingit, ut rerum illustratores, perfectoresque magis, quam ipsi inventores, laudibus extollantur: quin accidit illud etiam non raro, ut inventionis laudes illustratoribus magis, quam inventoribus tribuantur: fortasse quod res primo inventæ aut exiguum, aut non adeo latum in societate usum habeant: perfectæ autem maximam semper habent utilitatem; ut propterea homines perfectioribus magis, quam rerum inventoribus, debere se intelligant. Hac de causa, ut opinor, inventio circulationis sanguinis Arveo ab universo litteratorum hominum cœtu conceditur; Hallero vero maximam gloriam irritabilitas comparavit: quamvis ante Arveum Paulus Sarpinus, clarius vero Cæsalpinus sanguinis circulationem aliquo modo indicassent; & ante Hallerum Glissonius, alique de irritabilitate nonnihil attigissent. Reges, viri Principes, Optimates, qui suas domos pro generis, & nominis dignitate ornamento esse suis urbibus volunt, quanto studio, quantis
etiam

etiam impensis tabulas, signa, vasa comparant, quæ sciant ab iis esse facta, non modo qui auctores, sed etiam, qui ferantur earum artium fuisse illustratores, perfectoresque? Quis nescit, ante Phidiam, & Apellem Sculptores alios, Pictoresque vixisse, quibus prima inventionis laus debeatur. Horum tamen homines obliti, illorum modo, qui artem perfecerunt, opera magna auri vi undique conquirunt. Nostri etiam hujus Instituti auctores, nobilissimi Viri, quam diligenter in eam curam incubuerunt, ut in hoc Scientiarum domicilio, quod omnibus ad visendum patere voluerunt, plura essent, quæ advenæ ipsi in hoc genere suspicerent, atque admirarentur! Quæ cum ita sint, clarior ne cæteris hujusmodi Anatomicis suppellectilibus, & illustrior habenda est Manzoliniana: quæ prima tantam in suo genere perfectionem exhibuit, ut non crassiores tantum, facilioresque humani corporis partes, quales cæteræ hujusmodi ante ipsam suppellectiles referebant, sed tenuissimas etiam, difficillimasque ad sensoria, atque ad organa vocis, generationisque pertinentes partes ex cera, aliaque materie fabrefactas, prima, inquam, ad videndum præbuerit? Quæ prima non modo in hac urbe, sed in universa Italia, ac pene dixerim in universo Orbe in lucem prodiit, quæque & nostris, & exteris hominibus exemplum præbuit, easdem humani corporis tenuissimas partes, aliasque iis similes eadem arte effingendi? Jam cujus id generis opera tantam famam suo compararunt Artifici, quantam Manzolinæ sua? ut propterea præstantissima Mulier in Mediolanensium, in

Londinensium, in Petropolitanorum Academias amplissimis conditionibus arcessita fuerit, ut ei statuae fieri curarentur, ut numismata cuderentur, ut Fulginensium, ut Florentinorum Academiae, ut qui in his ipsis ædibus sedem habent Clementini in suorum illam numero ultro adscripserint, ut celeberrimi illam, gravissimique viri suis scriptis commendarent, ut nemo, non dicam, qui in anatomicis esset versatus, sed qui liberalibus paulo studiis imbutus esset, nemo Princeps vir in hanc urbem venerit, qui non hæc opera videre, ipsamque artificem alloqui, & de facie noscere vehementer optaverit? Sed quid ego hæc honoris, existimationisque argumenta, quæ merito huic Mulieri sunt tributa, commemoro? Præsertim cum unum sit, quod, licet cætera desiderarentur, satis per se esse deberet, ut immortalitati ejus nomen commendaretur; cujus quidem nos omnes, nos, inquam, & cæteris nationibus, & posteris etiam testes esse possumus. Etenim quis nostrum ignorat, tum cum Josephus II. Cæsar semper Augustus, cujus numen, majestatemque præsentis suspeximus, primum in hanc urbem venit, de Anna Manzolina præcipue quæsiisse? Cum vero multo post idem ad nos rediisset, nonne scimus, statim eam adiisse, ejus opera diligenter, summaque cum animi admiratione observasse, diu, multumque cum illa locutum esse, aureoque numismate, in quo sua esset imago, Mulierem donatam esse? Quod si in maxima habetur laude, a laudato viro laudari, quid illustrius esse, aut fingi potest, quam a summo Romanorum Imperatore, ab eo, quem & sapientissimum ipsum,

ipsum, & sapientum existimatorem maximum cognovimus, Manzolinam & doctam foeminam, & præstantem, & singularem esse habitam. O veræ gloriæ, & laudis indicia! O apud omnes nationes, populosque merito celebrandam Mulierem! O dignam, de qua nulla unquam ætas conticescat! An hæc sunt, per vestram fidem, Auditores, aut cum primis, aut cum cæteris deinceps constructis similibus anatomicis suppellectilibus communia? An æmulum, aut invidi notam subibo, si dixero, cætera hujus generis studia laudes quidem promereri summas, magnam existimationem suis auctoribus comparasse; sed tamen peculiaris quædam Manzolinianum studium habere, quæ nullum sit adhuc assequutum, in quo illustratam, perfectamque artem omnes admirantur, quod scriptis celebratum sit summorum hominum, quod viri multi Principes, multique alii & nobilitate, & litteris præstantissimi fama permoti, quæ de eo ubique gentium est, sua præsentia honestaverint, maximeque laudaverint? Opus autem tantum, tantisque nominibus præstantissimum in privatis ædibus diutius servari debebat, neque in hoc loco, in quo non utilia tantum, sed rara etiam, ac singularia undique collecta sunt, tamquam in propria sede collocari? Quod si illud dixerim, non nihil etiam accedere pretii huic suppellectili, quod a Muliere facta sit? Vera ne dicam? Artes, & scientias a Viris coli, qui ab ipsa natura ad eam rem comparati esse videntur, non est admodum rarum: at Mulierem, quæ lanæ, ac telæ nata esse videtur, scientias, & artes non attingere solum, sed

sed etiam sapientissime pertractare, sed amplificare, & pene dixerim perficere, nonne hoc adeo rarum est, ut omnium in se animos, oculosque convertat? In Manzolina autem id mirabilius debet videri, quod duas ea artes tam dissimiles, tam etiam difficiles, sed omnino ad hujusmodi conficienda opera opportunas, ne dicam necessarias, Sculpturam, & Anatomen, prima ita conjunxit, ut in utraque excelleret: præsertim cum muliebris natura adeo mollis sit, & timida, ut quantum ad elegantiora opera aptissima esse cognoscitur, tantum his studiis videatur inepta; quæ sæpius ad ipsius cadaveris nomen & animo cadere, & nauseare, & pallefcere soleat. Nemo autem vestrum ignorat, Annam Manzolinam, dum ejus Vir operam Lellio artifice optimo præstaret suam in fingendis e cera musculis, quos suo in loco in sceleto disponderet, nemo, inquam, ignorat, virili animo Mulierem, ut de conjugis sui clarissimi labore aliquid imminueret, cadaverum foetore contempto, & proprii sexus laxitatis, imbecillitatisque oblitam, in difficili, ingratoque opere opem ei ferre instituisse. Itaque primo Anatomen excoluit, deinde Sculpturæ artem sibi diligentissime comparavit; tantumque & summa ingenii vi, & dexteritate, qua pollebat, profecit, ut paucorum annorum spatio & Magistri Lellii, & Viri sui scientiam, facultatemque non modo assequeretur, sed longe etiam superaret. Tantum accuratam illam agendi rationem, & assiduitatem, quæ mulierum maxime propria est, tantum earum etiam ingenium, nisi plerumque in summa ignorantia, velu-

veluti in deterrimo carcere, contabesceret, valere intelligimus. Hinc Mulier egregia non tantum majores partes, ut sunt muscoli, quos primus, ut paullo ante diximus, in cera sculpsit Lellius, Manzolini opera adjutus, e cera conflare didicit; sed prima subtiliores jam recensitas, tenuioresque humani corporis partes, quæ visum quasi effugerent, ex eadem cera, aliaque materia effingere ausa est, tanta præstantia, tanta veritate, tantaque felicitate, quantam dixi, & vos, Auditores, oculis ipsis vestris cernere potestis. At dicet quispiam: hoc quod tantopere commendas, opus jam multis ex partibus, vel temporum injuria, vel hominum negligentia comminutum, pristinum illum nitorem, elegantiamque amisit. Ita ne? Nolo mihi quidquam etiam jurato credatis: jam unicuique patent, jam omnium oculis tabulæ in proximis conclavibus propositæ sunt ad intuendum: ipsas inspicite: judicate. At inquires, hoc opus vetustate obsolescet. Obsolescet? Dicit id quidem, & esse de inventis aliis, perfectisque operibus potest: de hoc vero nulla prorsus ratione. Cætera quidem a posteris sæpius ita immutari, augeri, perfici possunt, ut quæ primo confecta sint, tamquam imperfecta, & ferme inutilia obsolevisse tandem videantur. At nostræ Mulieris opus nullos hujusmodi casus patietur. Nam cum naturam apprime, ut demonstravimus, imitetur, quæ una eademque semper est, sibi que constans, alia quidem similia opera construi poterunt, & ea, si libet, nostro etiam elegantiora, magisve ornata, & aspectu jucundiora; at verius non item: itaque idem semper

per nostrum manebit, & primum, & utilissimum; & nominis fama, ac celebritate præclarissimum; neque ulla unquam illi ætas nocebit. Tale itaque opus, quod nostræ civitati, quod huic clarissimo loco tanto ornamento esse intelligimus, æquo ne animo pateremur, ut aliò delatum, aliam potius, quam nostram urbem, omne in posterum tempus honestaret, illustraretque? Fingite, quæso, animo, Auditores, sinistro id quodam fato accidisse, ut aliò id opus esset importatum: quàm se beatam illa civitas putaret, quæ illud haberet! Quantopere gauderet, propter singulare ornamentum, & summam utilitatem, quam suis civibus accessisse cognosceret! Quantum denique efferretur eo ipso, quod suum effecerit non postremum nostræ hujus urbis, quæ studio-
rum Mater & appellatur, & est, ornamentum! Nos autem quo tum essemus animo, dum exterorum vel tacitas, vel apertas interdum reprehensiones audire cogeremur? Sed finis sit. Neque enim volumus quidquam de hujus diei lætitia, ne fingendo quidem, nobis adimere. Illud vero lætemur, proprium nobis, atque huic loco perpetuum jam esse hoc Studium, quod utilitate nulli sit secundum, inventionis autem, illustrationisque laude, artificisque dignitate, ac celebritate omnium facile princeps. Verum quo magis hoc justissimo gaudio complemur, & magis amplissimorum horum Virorum, qui huic Scientiarum domui præsunt, beneficium recordamur, eo magis, quæ illis gratiæ habendæ, & agendæ sint, intelligimus. Quapropter illis in primis, quorum opera, atque consilio præclara hæc supellex
huic

huic loco comparata est, gratias quummaximas agat Patria: agat Pio VI. Pontifici Maximo, quem sibi, quem communi Reipublicæ Christianæ, quem hujus urbis, atque imperii bono, ac felicitati diu incolumem a Deo Optimo Maximo servari exoptamus; qui horum amplissimorum Virorum studiis, ac voluntati tam facile se præbuit; qui etiam novum huic suppellectili addidit decus, quod sua illam auctoritate, suisque imperiis dignam judicavit: agat demum Ranutio Senatori amplissimo, qui superioribus temporibus primus hoc idem Studium Patriæ servavit; nunc autem facile domum sua eo passus est spoliari ornamento, quod magnificas illas suas ædes faceret illustriores. His, inquam, gratias agat Patria: agat ex beatissima illa sede, in quam migrasse confidimus, ipsa Manzolina, cum suum tandem desiderium, quod ea mihi etiam sæpius, dum viveret, significavit, ut nempe præclaro hoc in loco suum opus collocaretur, videat expletum; quæ hoc sibi unum moriens nonnihil dolere dixit, quod nondum certum sibi, exploratumque esset, num suæ industriæ, suorumque laborum, quod potissimum in suo opere conficiendo spectasset, fructum perpetuò sui essent cives capturi. Agant celeberrimi hujus loci Professores, quibus nihil charius, nihil optatius esse debet, quam ut hic idem locus locupletetur in dies, & illustretur. Vos demum agite, spectatissimi Juvenes, quod hujus operis præsidio facilior vobis, jucundiorque ad anatomicam facultatem aperitur via, quodve qui vobis progressus ad plures annos, si nova supellex anatomica esset condenda, prorogari

ne-

necesse fuisset, ille nunc ne ad brevissimum quidem tempus differtur. Ego vero, cujus ob hanc ipsam suppellectilem dignitas est aucta, quique amplissimis his Viris cum multis nominibus, tum hac de causa magnopere debeo, non modo gratias, quas possum, maximas ago, sed habebo etiam dum vivam; illudque pro virili parte enitar, ut creditam mihi Juventutem in anatomica facultate erudiam, atque ut illud incrementum, illamque perfectionem anatomicum hujusmodi studium consequatur, quam & illi cupiunt, & vehementer volunt. Id enim sibi etiam proposuerunt amplissimi Viri, cum tam primam, tam utilem, tam affabre absolutam, tantaque celebritate commendatam suppellectilem compararunt, ut Nos, & summos nostræ urbis Professores, Artificesque non modo præmiis, sed etiam laudis amore, sed gloriæ contentione ad anatomicam hic rem augendam, perficiendamque allicerent, excitarent, impellerent. Dicebam.

*Vidit D. Aloysius Sambuceti Clericus Regularis S. Pauli, &
in Ecclesia Metropolitana Bononia Pœnitentiarius pro Il-
lustrissimo, & Reverendissimo Domino Dom. Andrea Joan-
netto Ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensis,
Episcopo Himeriensi, atque Eccl. Archiepiscop. Bonon.
in spiritualibus, & temporalibus Administratore.*

Die 30. Septembris 1777.

IMPRIMATUR.

*Fr. Carolus Dominicus Bandiera Vicarius Generalis S. Officii
Bononia.*



